

EPISTOLA DEDICAT.

non alio titulo, quàm de Interpretatione vltimarū voluntatum insignire volui. Nū verò illud, quod maximoperè optaui, assecutus fuerim, aliorum esto iudicium. Illud scio, immensum me pelagum hunc ingressum, in euoluendis, digerendis, explicandis penè innumeris Scriptorum assertionibus, & deniq; voluminibus, tantum haufisse laboris, operè, & molestiæ, vt non semel piguerit me cœpti, & non nunquam etiam reuocare gradum, & institutum deserere cursum cogitauerim. Cæterum vna, atque altera cogitatio me in proposita sententia retinuerunt, atq; adeo confirmarunt. Vicit porrò studium communis, & publicæ omnium Iurisprudentiæ studioforum, & professorum vtilitatis, quam non mediocrem, & vulgarem, exigentibus his meis laboribus, percepturos esse (nisi mea me fallit opinio) planè pro certo tenere possum. Ad hæc subijt sæpenumero in mentem, me aliàs, cum meum Responsorum Iuris librum tibi, amplissime Princeps, studiorum meorum patrono, & alteri meo benignissimo nuncupauit, meam quoque obstrinxisse tibi fidem, huius pariter operis, quod de vltimis hominum interpretandis voluntatibus est, sub eodem tuo fœlici nomine inuulgandi. Quod ipsum nunc cum facio, præterquàm quòd meam tibi fidem libero, summa etiam cum ratione facio. Porrò opus, cuius subiectum nihil aliud est, quàm Iustitia, cuiusmodi hoc meū est: cui magis iure, ac merito, quàm iustissimo Principi debetur? Tu verò maximis quidem, & heroicis virtutibus eximiè præstas, sed præcipuè vna iustitia præ cæteris excellis. Quod ex eo intelligunt omnes: quia non modò probas viros probos & iustos, & eorum studijs, & lucubrationibus, quibus homines ad colendam iustitiam instituuntur & formantur, egregiè & impensè faues; sed frequens es, & supra modum assiduus in audiendis, & exaudiendis subiectorum tibi populorum querimonijs, & iustis petitionibus: quas amplissimo tuorum Senatorum ordini, vt res ipsa fert, pro iustitia diffinienda committis. Qua ratione nulla est alia certior ad veram, & Christiano Principe dignam gloriam & æternam famam comparandam. Iure igitur optimo, Opt. Princeps, hoc opus meum tibi dono, dico, dedico, & planè eadem singulari mentis affectione, qua Responsorum meorum librum superioribus annis tibi quoq; donauit, dicaui, & dedicaui. Illud reliquum est, vt tu benigna, ac læta fronte, vt soles, ad munus hoc meum quamuis exiguum, & tenue, respicias: Ita enim fiet, vt proli meæ vtrique tum animi, tum corporis auctoritatis,

& amplitudinis tuæ præsidijs munitæ nihil vnquam aduersi

in posterum mihi sit metuendum. Vale. Pisauri Ca-

len. Aprilis. M. D. LXXXII,